



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1856**

LXXIX. Der Römische König Adolph bestätigt das Kloster Lehnin und gewährt ihm die Befugniß für die Ausübung der ihm angehörigen weltlichen Jurisdiction geeignete Personen zu Richtern zu bestellen, am ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

ftri, quorum Nos genealogiam duximus, libere ac quiete dinoscuntur procul dubio possedisse — Testibus idoneis, quorum nomina sunt hec: Bertholdus Prepositus de Saltzwedel, Heyfo de Cracow nostre curie Protonotarius, Dominus Theodoricus de Turgowe, Dominus Johannes de Sonnenwalde, Geuehardus et Heinricus dicti de Aluenleben, Jo. de Crakau, Nicolaus pincerna, Milites nostri et alii quam plures fidedigni. Datum per manum Alberti notarii nostri anno domini M. CCXCI, sequenti die Lamberti Episcopi et martyris.

Aus Seibell's handschr. Urk.-Sammlung fol. 147.

LXXVII. Der Erzbischof Erich von Magdeburg vereignet dem Kloster Lehnin die Mühle bei Loburg, welche Rudolph von Santerleben ihm dazu resignirt hat, im Jahre 1291.

Molendini proprietatem ante valvam opidi Louborch et aquam, que ducit ipsum molendinum, nec non arbuta cum lignetis circum jacentibus Ericus Magdeburgensis Archiepiscopus donavit cenobio Lenynensi sui capituli consensu accedente, Rudolfo Milite de Santerleue resignante Anno 1291.

Altes Verz. Lehniner Urk. — Gerken VII, 329.

LXXVIII. Erzbischof Erich von Magdeburg vereignet dem Kloster Lehnin Colditz mit seinem Zubehör und alle Hausplätze in der Heide bei dem Schlosse Loburg, im Jahre 1292.

Colditz cum suis pertinentiis, omnes areas in Indagine iuxta castrum Louborch, nec non duo jugera cum dimidio, que quondam existerant Johannes dicti Burggravi, Ericus Archiepiscopus ecclesie Magdeburgensis, Bernardus Decanus totumque capitulum ecclesie ejusdem Anno 1292.

Altes Verz. Lehniner Urk. — Gerken VII, 330.

LXXIX. Der Römische König Adolph bestätigt das Kloster Lehnin und gewährt ihm die Befugniß für die Ausübung der ihm angehörigen weltlichen Jurisdiction geeignete Personen zu Richtern zu bestellen, am 1. September 1293.

Adolfus, dei gracia Romanorum Rex semper Augustus, Honorabilibus et religiosis viris Abbati et Conuentui Monasterii de Lenyn ordinis Cisterciensis gratiam suam et omne bonum. In excellenti specula Regie maiestatis ordinatione diuina feliciter constituti ad prospiciendum Religiosorum vtilitatibus prospicitatem oculorum longe lateque diffundimus eorundem indempnitatibus precauendo precipue, necnon ipsorum commoditatibus iugiter intendentes, vt per lubricum huius vite

transcursum salubriter transeuntes eterne beatitudinis premia consequamur. Ea propter, deuoti nostri dilecti, uestris desiderijs et iustis populacionibus grato concurrentes assensu personas uestras et monasterium, in quo diuino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, que in prefenciarum racionabiliter possidetis aut in futurum iustis modis prestante domino poteritis adipisci sub nostram et Imperii protectionem suscipimus specialem, priuilegia quoque, jura, libertates, iurisdictiones, terras possessiones, domos et alia bona uestra, sicut ea omnia iuste ac pacifice possidetis, uobis et Monasterio uestro auctoritate Regia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, concedentes, ut in locis, in quibus iurisdictionem temporalem, personas idoneas iudices constituere possitis, qui jus reddunt et iusticiam, sicut uobis ea iurisdicio competere dinoscatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram protectionem, confirmationem et concessionem huiusmodi infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc fecerit, grauem nostre indignacionis offensam se noverit incursum. Datum apud Wifebaden kal. Septembris, Indictione sexta, Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. nonagesimo tercio, Regni uero nostri anno secundo.

Aus einem Transsumt vom 11. Mai 1443 im Geh. Staats-Archiv.

LXXXa. Die Gebrüder Burchard, Ulrich und Gebhard, Grafen von Lindow, vergleichen sich mit dem Kloster Lehnin über denselben zugefügte Schaden, wofür sie ihm Besitzungen in Dalchow und Leimbach einräumen, am 4. April 1294.

Nos burchardus et ulricus fratres, dei gracia Comites de lyndowe, notum facimus omnibus presentem litteram inspecturis, Quod pro dampnis et iniuriis factis per nos et nostros Ecclesie Lenynensi in bonis villarum suarum scilicet Colditz et leimbach, cum ipsa Ecclesia Lenynensi talem formam iniuimus vnionis. Promisimus enim nos et promittimus bona fide et similiter quatuor milites nostri, uidelicet Otto filius Randewici, Degenhardus et Otto fratres dicti de Woluen et henricus de Ronis nobiscum pariter promiserunt, quod proprietatem et jus proprietatis quindecim manforum in villa leimbach iacentium perpetuo possidendum a domino Episcopo Brandenburgenfi futuro Ecclesie Lenynensi ad usus suos comparabimus, a tempore creationis futuri Episcopi infra annum, sic ut predicta proprietas ad dictam Ecclesiam Lenynensem pertineat et in ipsam transeat pleno iure. Vnde si aliquo casu a predicto domino Episcopo Brandenburgenfi futuro predictam proprietatem comparare non poterimus, tunc in villa nostra Dalchowe proprietatem quindecim manforum transferemus et ordinabimus infra mensem predictae Ecclesie Lenynensi in restaurum et compensam, Et procurabimus nichilominus, quod ista proprietas in villa nostra Dalchowe in ipsam Ecclesiam Lenynensem transeat pleno iure, priuilegijs et instrumentis patentibus domini proprietatis prefate per nos procuratis et presentatis etiam Ecclesie Lenynensi. Preterea quatuor choros frumenti, quod frumentum uocatur huntcorn in vulgari, iacentes in villa Colditz, ante festum B. Johannis Baptiste proximum abfoluemus et liberos faciemus taliter, ut isti quatuor Chori cum omni iure in Ecclesiam Lenynensem transeant et ad ipsam debeant perpetuo pertinere. Insuper volentes Ecclesie Lenynensi graciosius complacere, ob reuerentiam beate Marie uirginis nec non in nostrorum progenitorum nostrarumque remedium animarum, Jus patronatus Ecclesie in villa nostra Dalchowe transtulimus perpetuo possidendum in Ecclesiam Lenynensem eo iure, quo idem juspatronatus possidere dinoscimur et habere. Et nos Geuehardus de Lyndowe,